poſſe qvem ſcire aliqvid, etſi alii eum ſcire ignorent: Vulgò tamen contrarium intelligitur. *Lubin. in ſat. 1. Perſii p. 627. Joh. Owenus* ingenioſè ita imitatur *libr. 2. Epigram. 43.*

Theologus.

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Politicus.

Si ſciat hoc alter, ſcire tuum nihil eſt.

Sic ſi dicam: *diu ille moratur apud nos*, i. e. non manet diu & commoratur, ſed diu morum agit. *Morari* enim primâ exiſtente longâ, eſt *inſanire vel ſtupidè, fatuè & delire agere*, μωραίνειν, ſicut *Suetonius lib. 6. de Nerone* uſurpat.

Sic, ſi λόχος, ου, ὁ 1. *cohors, agmen.* 2. *inſidiæ* (hinc ὁ δειπνολόχος *cœnipeta*, der ſich gerne läſſt zu gaſte bitten/) cum λοχὸς οῦ ἡ *gravida*, confundatur.

Stilpo, ut eſt apud *Laërtium*, cuidam dicebat: δοκεῖς μοι χρείαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ. qvod poterat intelligi, ut καινοῦ eſſet una vox, & ſignificaret, *eum indigere novâ veſte*: vel